Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36452
Copyright: Melk, Benediktinerstift

quando de hoc seculo ibidem recessit. Nam cum primitus illuc predicare cepisset. astans quidam rusticus maligna mente cepit intra se taliter dicere. En auctor pluriorum et sedicionum per quem totum commouit orbem. etiam inquietare uenit urbem. His ita cogitatis. dum etiam proloqui uoluit mutum se fieri doluit. Cum uero necessitate compulsus accessit ad hominem dei prouolutusque pedibus ipsius. quibus signis potuit peccasse se peniterique innotuit. Quo miserente et benedicente recepit loquelam omnipotenti deo famuloque eius gracias relaturus. Postquam uero defunctus et sepultus est nocturno silencio subintroierunt fures aperire sepulchrum uolentes propter auferendas induuias pontificales. Uerum tante uehemencie uentus obuius eis fuit. ut cuncte lampades que in cripta beati Mathei ardebant extinguerentur. et ipsi cadentes in amentia tam diu iacerent. quo usque cleri populique spectaculum fierent.

relinquens. pauper pauperem christum sequi cupiens. sanctorum gratia ierosolimam uenit. ubi desiderio quo uenerat. loca passionis. resurrectionis atque ascensionis. sepius frequentando aliquamdiu mansit. Post hec cum hylario quodam sanctissimo uiro qui pro hoc negocio habitabat per septem annos ductor peregrinorum fuit. Iam itaque totus in amore christi fundatus. requisiuit si in illis partibus aliquis inueniretur pro nomine christi solitarius. cuius institui moribus. cuius subdi ualeret dogmatibus. Audiuit quendam super ripam fluminis iordanis. in quadam reclusione turris commorari. uirtutibus preclarum. sanctitate conspicuum. Illum ergo tota mentis intentione siciens. illius alloquio atque consorcio frui concupiscens. requisitum repperit. inuentum dilexit. eique tota deuocione inhesit. et in quantum potuit deuotissime ministrauit. De illo christi seruo uir dei Simeon multa solitus erat narrare. et quod prophecie spiritum habuisset hiis uerbis edicere. Cum quadam die in inferioribus eiusdem turris partibus habitarem. et mulierculas que camelos et cetera animalia in flumine adaquare uenerant. inaniter et lasciue per fenestram prospicerem. per spiritum quicquid uanitatis retinerem in corde. uir dei in superioribus manens. et me omnino uidere non ualens cognouit. factoque signo in loco quo uerba loquentis audire possem euocauit. mihique stupenti que egeram uel cogitaueram increpando retulit. atque tali sermone dulciter corripuit. Quid tibi prodest fili patria bona reliquisse. si mundi desideria et carnis illecebras in corde uis retinere. Si ergo cupis discipulus fieri christi. non debes deinceps uanitatibus mundi implicari. Decet enim

Kl' Junij